

# PROFESSORES THEOLOGIAE

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

L.

S. P. D.

Praestantissimus Juyenis, *Albertus Christianus Van Raalte*  
*Wanneperveenensis* inde ab anno *1824* hujus Academiae civis,  
in instituenda studii Theologici ratione, cum ad Legem Regiam d. 2 Augusti *1810* c. 14. Art. 46, 47, 63, 73, 74, 75, 82, 98, 110, 116, tum ad normam, Statutis Ecclesiasticis praescriptam et Augustissimi Regis Decreto d. 30 Julii *1816* approbatam, se composuit. Primum igitur Literis Graecis, Latinis, Belgicis et Hebraicis, nec non Mathesi, Philosophiae et Historiae Universali operam dedit, et die *16 Maji* anni *1831* *Candidatis Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum* adscriptus est. Deinde in Theologiam Naturalem, Historiam Ecclesiasticam, Criticam Sacram et Hermeneuticam incubuit; et in utroque Codice Veteris et Novi Foederis accurate et legitime interpretando vires exercuit. Ad ipsam denique Theologiam Dogmaticam, quam vocant, et Historicam se contulit, atque omnes et singulos Doctrinae Christianae, cum Theoreticae, tum Practicae, locos tractavit: neque Homileticae artis aut Curarum Pastoralium scientiam neglexit. Nec solum requisitis, ut ad Sacrorum Antistitis munus admitti posset, Scholis biennium interfuit, sed *tres* annos in examinibus progressuum in Historicis, Dogmaticis, Moralibus ceterisque Disciplinis Theologicis factorum specimina edidit. ~~Neque Oeconomiam ruralem intactam reliquit.~~ Bis eum de rebus sacris concionantem audivimus.

Quam studiorum viam et rationem cum vitae integritas ornaverit, non dubitavimus, huic Juveni, *Candidatis Theologiae* die *14 Aprilis* anni *1832* adscripto, eoque ipso, secundum Regium Decretum diei 12 Junii *1812*, in Ecclesiasticum Ordinem recepto, hoc operae rite praestitae testimonium exhibere, Deum precantes, ut omnia ipsi ex votis et meritis succedant, in uberimum Ecclesiae Christianae emolumentum.

Scripsimus in Academia Lugduno-Batava,  
die *10 Junii 1832*.  
*W. A. Van Nieuwenhuis*  
Fac. h. l. Dec.

*J. H. Van Nieuwenhuis*  
*N. J. Kist*